

secundum
distinctas
qualitatu
primariu
classes, &
literarum,
alphabe-
ticum or-
dinem.
Calida, &
sicca pri-
mo ordine

primarum qualitatuum gradus, & literarum alphabeticum ordinem.

SYL. Horum cum alia, qualitate manifesta, & elementaria, sint calida, alia frigida; dic, quaeso, quænam censentur calida, & sicca primo ordine.

THEOD. *Agrimonium*, sive *Eupatorium*: quod naturali quadam sympathia, speciatim jecori male adfecto succurrit.

Amygdala dulcia: pectori præcipuè, & ventriculo amica.

Buglossum utrumque, tum agreste, tum hortense; quod *Borago*, sive *Corago* à Lucanis (ut Apuleius refert) appellatur: cordi peculiariter familiare & amicum.

Chamamelum vulgare, & *Chamomilla Romana*; præter alias dotes, anodyna facultate speciatim pollent.

Glycyrrhiza; temperatè calida: sacra pulmoni; ac inhibendis stomachi, jecinoris, renumque inflammationibus accommoda.

Calida pri-
mo, sicca
secundo
ordine.

SYL. Quænam sunt calida primo, & sicca secundo ordine?

THEOD. *Absinthium vulgare*, & *Romanum*; ventriculo præcipuè, dehinc & præcordiis, & jecori opitulantur.

Coriandri semen, correctum: ventriculum præcipuè roborat, coctionemque adiuvat; eiusque exhalationes in caput ferri prohibet.

Eryngium: adversus venena antidotum.

Fumaria: Viscerum omnium obstructions tollit, eaque corroborat.

Numularia, sive *Serpentaria minor*: putredini, & febribus inimica.

Salvia: Cerebrum, atque ventriculum corroborat.

Spina atra, sive *Pruni sylvestris flores*: obstructions viscerum referant: cor, & caput roborant.

SYLVIVS.

Quænam sunt calida primo, & sicca tertio ordine?

Calida pri-
mo, sicca
tertio or-
dine.

THEODORVS.

China, radix, valde extenuat; sudorem movet, & exsiccatur; ideoque putredini resistit; jecur confirmat; hydropi auxiliatur: Ulcera magna sanat, lepram, & elephantiasin curat; gallico morbo succurrit; corpus alimento destitutum reficit; scirrhis jecoris maxime prodest.

Sarsaparilla: luem veneream sanat; prodest morbis articularibus, ulceribus, laxis ex puita, & defluxione tumori-